



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Ahusium, (quod hodiernum vulgus corrupta voce Anhusitum, Anhausen/  
vocat) ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**



# MONASTERIORUM GERMANIÆ præcipuorum ac maximè insignium CHRONOLOGIA,

collecta

à

GASPARE BRUSCHIO EGRANO,  
Poëta Laureato & Comite Palatino.



**A**NHUSIUM, (quod hodiernum vulgus corrupta *Abus. ad*  
voce Anhusium, Anhausen/ vocat) Benedictinæ *Brentium*  
professionis Monachorum præclarum cœnobiū, *annem.*  
in Brentiana valle, amœnissimo Sueviæ tractu, ad  
Brentium annem in Augustana diœcesi, quatuor  
ferè miliaribus ab Ulma Suevorum metropoli si-  
tum: fundatum & constructum est in honorem S. Martini Episco-  
pi, à Manogoldo Comite Palatino Tubingensi, ejusq; filiis Wal- *Fundator*  
thero Episcopo Augustano, Mangoldo, Adalberto, & Udalrico *Mano-*  
Comitibus, annum Christi circiter 1125. Privilegiatur à Pont. *goldus.*  
Max. Celestino II. cujus tale extat diploma:

CELESTINUS Episcopus, servus servorum DEI dilectis *Diplo-*  
filiis, Monachis S. Martini de Anhausen, tam præsertim, quam *ma. Cele-*  
futuris regulariter substituendis: In nomine Patris & Filii & Spi- *stini II.*  
ritus sancti. Desiderium quod ad religionis propositum & ani-  
marum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti  
concedere, & petentium desideriis congruum impartire suffra-  
gium. Ea propter dilecti in Domino filii, Venerabilis patris no-  
stri Gualteri Episcopi precibus inclinati, vestris justis postulatio-  
nibus clementer annuimus: præfatam Monasterium, quod ab  
A egre-

Bruschio

Chronologia  
Monasteriorum  
Germaniæ

S. III

egregiæ recordationis viro Manogoldo Palatino Comite, ejusq; filiis, præfato videlicet fratre nostro Gualtero nunc Augustensi Episcopo, Adalberto & Udalrico in proprio Allodio constitutum est, & beato Petro cum omnibus ad ipsum pertinentibus oblatum: Sub ejusdem Apostolorum principis & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus: Statuentes, ut quascunq; possessiones vel decimas, quæcunque etiam bona idem Monasterium in præsentiarum juste & Canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, Largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis DEO propicio poterit adipisci: firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Concambium, eò quod de loco (in quo ipsum Monasterium situm est) cum Ecclesia S. Petri de Oetingen (ad cujus parochiam pertinebat) utriusq; partis assensu rationabiliter factum est, autoritate Apostolica confirmamus. Liceat autem vobis communi consilio Advocatum (quem ad defensionem ejusdem Monasterii utilem esse cognoveritis) libere eligere: ipsumq; (si inutilis apparuerit) remove, & alium quem utiliorem provideritis substituere. Obeunte vero Abbate (qui pro tempore ibidem fuerit) nullus, qualibet surreptionis astutia & violentia præponatur: sed liceat vobis communi consilio vel parti consilii sanioris, secundum Dei timorem & S. Benedicti Regulam, absq; ullius contradictione Abbatem eligere. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu Basilicarum, ordinationes Monachorum (qui ad sacros ordines fuerint promovendi) à Diocesano suscipiantur Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atq; communionem sedis Apostolicæ habuerit, & ea gratis & absque aliqua pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis Catholicum quemcunq; volueritis adire Antistitem, nimirum qui nostra fultus autoritate quod postulatur, indulgeat. Sepulturam quoq; illius loci liberam esse concedimus, ut quicunq; se illic sepeliri deliberaverint, ni forte excommunicati sint, nullus obsistat: salva tamen justitia matris Ecclesiæ. Ad indicium autem hujus à sede Apostolica perceptæ libertatis, Aureum unum nobis nostrisque successoribus

foribus, annis singulis persolvatis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare: aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire aut aliquibus vexationibus inquietare: sed omnia integra conserventur: eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnibus profutura: Salva Diocæfani Episcopi Canonica Justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam infringere, aut sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove admonita se non satisfactione congrua emendaverit: Potestatis dignitatisque suæ honore careat, reamq; se divino iudicio existere de perpetua iniquitate cognoscat: & à sacrosanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Divini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat: atq; in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniunt, Amen.

Inchoatum vero primum erat, hoc ipsum Cœnobium in pago *Langenaw* / qui duobus lapidibus ab Ulmenfi urbe abest, & ejusdem Reipublicæ S. P. Q. hodie paret, cujus etiam pagi Parochia & decimis fundatores primum Abbatem munifice donarunt. Translatum est autem à Mangoldi primi fundatoris filiis in Brentianam vallem: quod major ibi esset & lignorum & aquarum copia ac ubertas. Hæc translatio à Pont. Max. Eugenio III. anno Domini 1149. approbata & confirmata est. Catalogus ejus loci Abbatum, etfi acephalus & valde mancus sit: tamen talis à me collectus & confutus est ex variis monumentis & diplomatibus, quem antiquitatis studioso lectori non volui subtrahere.

*Degenhardus*, præfuit sub Pont. Max. Gregorio IX. Anno videlicet 1231. quo donatus legitur à Sibothone Augustano Episcopo, Parochiali Ecclesia in Heldelfingen, ne Cœnobium misere tum ad extremam inopiam redactum, prorsus corrueret.

A 2

Walthe

Brunshij

Chronologia  
Monasterio  
na Germa  
S. III

*Waltberus* præfuit anno 1291. quo donatus est duobus agri jugeribus à Sifrido Morhardo in Nawe ejusq; conjugè Wyba.

*Conradus* præfuit anno Domini 1312. & adhuc anno 1327. quo consequutus est Jus patronatus in vicina villa Tettingen à Friderico abbate in Lorchi.

*Henricus de Werde* præfedit Abbatia huic, An. Christi 1336.

*Henricus de Gabelnbach* præfuit anno 1353. Eo enim anno donatus est ab Imperatore Carolo IV. jure patronatus Ecclesie S. Crucis, quæ fuit in civitate Ulmenfi. Hæc donatio postea à Ruperto Imperatore confirmata est anno 1401. Præfuit verò anno etiam 1359. Sepelitur in Capitulari domo. Aliud de his Abbatibus extat nihil.

*Nicolaus Abbas*, Ahusio Brentiano præfuit anno 1410. seditq; ad Abbatia clavum utiliter ad annum usq; Domini 1446. quo legitur ex hac vita ad aliam meliorem emigrasse.

*Georgius à Sundtheim*, successit Nicolao. Præfuit adhuc anno Domini 1465. sed adeò non utiliter, ut exauthoraretur & nullus postea assumeretur Abbas, nobilitate generis conspicuus. Habet Cœnobii hujus templum, sublimem & quinq; concameratis sursumq; se invicem consequentibus testudinibus pulchre intus, ad summam usq; exornatam turrim, in cujus suprema parte, amœnissima est habitatio, quam isti Georgio Abbati quasi incarcerato ita adornatam fuisse, vulgus accolarum affirmat.

*Martinus* Georgio subrogatus est, sed quo anno, id incertum est. Præfuit tamen anno Domini 1469. & anno 1472. resignavit, tandemq; Eichenbrunnensis adhuc Monasterii Abbas factus esse legitur.

*Abus incendio vastatum.*

*Ulricus* Martino successit: præfedit anno salutis 1475. & sequente. Fuerunt hujus Cœnobii res sub his Abbatibus admodum angustæ & tenues: erat enim totum Cœnobium incendiis extremè vastatum, in bello civili, quod vulgo Civitatenfe vocant: eò quod sub Bavariæ Principum tuitione esset, quibus cum bellum erat civitatibus imperii.

*Restauratum.*

*Jacobus Legerlinus* ex Abbate Echabrunnensi Ahusianus designatus permutatione facta cum Martino: præfuit anno Domini

mini 1478. ad annum usq; 1501. quo Abbatiam Friderico Augusto Episcopo resignavit, cum magnam Cœnobii partem post incinerationem præclare instaurasset & pristinae dignitati restitisset. Humatus est in templo laicorum ante aram S. Crucis.

*Joannes Weydenkrantz* ex vicino oppido Heydenheimensi oriundus, ad Abbatia gubernationem suscipiendam invitatus adigitur & compellitur à Friderico Episcopo, anno 1501. octava Iduum Februarii. Præfuit laudabiliter & utiliter 16. annis, insignis paterfamilias, & Cœnobii sui variis structurarum generibus illustrator maximus. Obiit anno Christianæ salutis 1517. Sepelitur ante chorum ad sinistram.

*Joannes Mannius* ex Langenaw S. P. Q. Ulmenis amplissimo pago natus: de quo extat in epitaphio alioqui rudi talis versiculus:

*Sorte pater, sed corde favente per omnia frater.*

Successit *Weydenkrantzio*. Præfuit annis quinque. Obiit 17. Kaland. Maji, anno Christi 1522. Sepelitur in ambitu, ante domum Capitularem.

*Joannes Agricola* ex *Gersteten* Alpstri pago natus, ut nomine & patria ita re ipsa etiam verè rusticus: nam literarum & literatorum maximus osor fuisse dicitur, qui suis etiam juvenibus nec prædagogum alere, nec quicquam librorum emere unquam voluit. Eligitur anno 1522. Præfuit annis 20. penè. Et cum à duce Wirtenbergensi *Ulrico* expellerentur è Cœnobiis Monachi, uxorem ipse duxit, qua cum, ad finem usque mortalis vitæ suæ in *Bolheimensi* vicino pago inter agrestes & sui similes homines vixit, in cujus parochiali templo humatus est. Habetur tale epitaphion, quod ei superstiti adhuc & tunc temporis adhuc amico fecerat *Andreas Thierlerus* Abbas *Elchingensis* præclare doctus.

*Abbas  
litteratoris  
hostis.*

*Cujus ibi corpus tegitur, Venerabilis Abbas*

*Dicitur Joannes Rusticus ecce fuit.*

*E Gerstet genitus, sed utrisq; parentibus orbum*

*In Gussenstat Avus fovit amandus eum:*

A 3

Pro

*Bruchij*

*Chronologia  
Monasterii  
in Germania  
S. III*

Pro quo præteriens dicat pietatis amore,  
 Ut DEUS eternam donet ei requiem.  
 Vacavit aliquot annis Cœnobium & eo superstitè & tandem  
 etiam sublato, ad finem usque belli Germanici, in quo laudatis-  
 simus Imperator Divus Carolus V. victor, Monasterium à Duce  
 Wirtembergensi violenter occupatum, pristino juri restituit.  
 Onofrius Schraduzius ex Burgow Austriacæ domus oppi-  
 dulo Suevico natus, professus prius Ahufanus, sed post religionis  
 in Ducatu Wirtembergensi immutationem Augustam transla-  
 tus, ubi apud S. Ulricum postea Monasticen professus est, vir  
 omnino obæso corpore, ingenio verò & animi bonis non vulga-  
 ribus insignitus: Eligitur, non quidem à Conventu (nam is totus  
 partim obierat mortem, partim verò Monasticæ professionis  
 veste abjecta, ad alia sese studia contulerat) sed ab Abbatibus, Ja-  
 cobo Coplinio Ulrichiano, Joachimo Fendio Thierhauptensi,  
 Thoma S. Crucis in Donawerda, à Præposito item S. Georgii  
 Augustano Jacobo Saliceto, & à summi templi Augustensis Cle-  
 ro, in ipso Januario anni Christianorum 1548. Is Monasterii se-  
 dulus instaurator, hoc adhuc præsidet currente Jubilæo: in cu-  
 jus gratiam de ejusdem Cœnobii origine, tale nuper lusi Idyl-  
 lion Heroicum.

*Has Benedicinas Mangoldus condidit ædes  
 Cum natis Ulrico, Alberto & Præsule sacro  
 Urbis Augusta tuo, Gualteri nomen habente.  
 Condidit has, inter sylvas & flumen amœnum:  
 Ut coleretur ibi Majestas inclyta cœli,  
 Et pater & gnatus & procedens ab utroque  
 Spiritus, ipse DEUS cœlestis, Trinus & Unus.  
 Condidit has Celestino sub Præsule summo  
 Roma tuo, qui libertatibus auxit easdem  
 Pluribus: Undecimum cum seclum à Virginis almæ  
 Salvifico partu jam præterisset, & ipsum  
 In cursu Quintum Lustrum foret, Effusus ignis  
 Has tandem vastavit, & hostis plurimus. At quod  
 Nunc instauratas præclare cernis easdem:*

Hos

Hoc Jano Salicum de sero nomen habenti  
Te debere scias spectator, Onofrio Episcopi,  
Qui post Teutonici cladem, & funera belli  
Sic reparavit eas primus: collegit Episcopi  
Rursus in aede Scholam, in qua virtus Religioq;  
Et probitas plantaretur morumq; bonorum  
Integritas omnis. Hæc te nescire Viator  
Nolebam, turrus abi, quo te via ducit.

Non procul ab hoc Benedictino Monasterio, est ad eundem  
fluviolum aliud Augustinæ Litecescos, sed ordinis Canonico-  
rum Regularium S. Augustini Cœnobium HEERBRECH-  
TINGUM, aut ut hodie vocant Heerbettingen. Id in hono-  
rem S. Dionysii fundatur anno Domini 1144. a potentiss. Sue-  
vorum Principe Friderico Barbarossa, qui tandem ad Imperii  
culmen ac dignitatem evehctus est. In ejusdem Cœnobii elegan-  
tissimo templo, S. Pharaonis Episcopi & confessoris cujusdam,  
de quo nihil tamen aliud in literas relatum invenio, corpus hu-  
mo mandatum quiescere dicitur, quod à juvenis huc tra-  
ctum & avehctum ajunt, ad fontem usque Cœnobii, qui hac ad-  
huc ætate Pharaonis puteus à Cœnobitis dici solet. Habuith oc  
Cœnobium semper ad hæc nostra usque tempora governato-  
res Præpositos, quorum talis extat etsi non omnino integer  
catalogus.

1. *Amandus.*
2. *Rapatho.*
3. *Bertholdus.* Huic Fridericus II, Neapolitanus ille, &  
Barbarossæ nepos Imp. Rom. dedit tutorem Godefridum de  
Wolfach.
4. *Martinus.*
5. *Jodocus.*
6. *Bertholdus II.* præfuit anno 1220. sub P. M. Hono-  
rio IV.
7. *Conradus,* præfuit anno 1283. & sequenti, sub Imp.  
Rodolpho Habsburgio.
8. *Bertholdus III.* præfuit anno Domini 1327. quo Theo-  
dori-

Heerber-  
tingense  
Cœnobii.

Præposi-  
torum  
Cœnobii  
Heerber-  
tingensis,  
catalo-  
gus.

Bruchhij

Chronologia  
Monasterio  
sua Gemma  
S. III



doricus de Althaim cum conjugē Adelheide bona quædam tradidit Monasterio. Emit iste Præpositus Jus patronatus Ecclesiæ Stotzingensis (quod oppidum Sueviæ est) anno 1329.

Stotzingum.

9. *Ulricus de Plintheim* præfuit anno Domini 1347. quo ex imis fundamentis novum murum, per totum Cœnobii circuitum, cum porta occidentali construxit.

Parochia Giengen-sis.

10. *Eberhardus* præfuit anno Domini 1349. Huic Imp. Carolus IV. cum Archiepiscopi Moguntini consensu Parochiam dedit oppidi Giengen-sis in ea ipsa vicinia ad Brentium amnem siti, anno Christi 1348.

11. *Henricus* præfuit anno 1369.

12. *Ulricus II.* præfedit anno 1407. sub Eberhardo Episcopo Augustano. Is totum Cœnobium renovavit anno 1410.

Predicatura Giengen-sis.

13. *Joannes* præfuit anno salutis 1420. quo fundata est prædicatura in vicino oppido Imperiali Giengen dicto, à Magistro Joanne de Riedlingen, Medico & Physico Noribergensi.

14. *Henricus Hitzlerus*, ex Mergelsteten oriundus: præfuit anno Domini 1438. Decessit ex hac vita mortali An. 1466. mense Julio. Sub ejus gubernatione S.P.Q. Giengen-sis incendit & spoliavit Cœnobium Heerbrechtin-gense, in ipso Civili bello, quod exarserat anno Domini 1450. & præcedenti inter Civitates ex una, & Duces Imperii ex altera parte. Giengen-ses à Papa Nicolao V. anno pontificatus sui 4. hoc est, anno 1451. Romam citati sunt. Res transacta tandem est anno 1453. à Ludovico Palatino Rheni & ejus Consiliariis Nicolao Abbate Cæsariensi, Ulrico Comite de Helffenstein, Ulrico de Alto-Rechberg, Gulielmo Truchtlinger & aliis.

15. *Georgius Piscatorius* successit Henrico, quarta Augusti, anno Christi 1466. Quamdiu præfuerit, aut quis ei successerit: non inveno.

16. *Magnus Ammonius*, patria Giengen-sis, præfuit adhuc anno Domini 1520. quo per Reverendos ac egregios viros, Michaëlem Ullmensem, & Wolfgangum Augustanum præpositum reformatum legitur Monasterium istud Heerbrechtin-gense.

17. Pan-

17. *Pantaleon Kesslerus*, patria Gislingensis, præfuit annis 15. Obiit anno 1535.

18. *Valentinus Peybardus* ex Laugingiaco natus, successit Pantaleoni. Præfuit per menses circiter octodecim. Sub eo occupatum est Cœnobium ab Ulrico Duce Wirtembergensi. Abbas abjecta veste & professione Monastica uxorem duxit Annam Doctoris Nicolai Mayeri vel Marii Jurisconfulti & Ducalis Cancellarii filiam, qua cum hodie adhuc vivit in vicino pago Heerbrechtingensi, pater quatuor liberorum.

19. *Rulandus Mercator*, ex Rosshaupten Danubiano pago natus, ejectus ex Monasterio erat cum aliis Cœnobitis anno 1536. Factus Parochus Sundthofensis pagi in Algovia siti. Unde iterum pulsus in bello Germanico, Caroli V. Imp. castra sequutus, Rochlitzii in Misnia captus, pauloq; post manumissus: tandem à Cæsare adiutus Monasterium suum feliciter recuperavit, cujus Præpositus designatus est anno Domini 1548. Præsidet hoc adhuc corrente Jubilæo, vir literarum & literatorum omnium amantissimus. Is novum dormitorium construxit elegans ac magnificentum, cui hoc Idyllion inscribi curavit.

*Cum numerarentur post natum secula Christum*

*Quinq; decemq;, & sex cum lustris insuper annus*

*Unus & e: ejecta est ex æde Monastica turba*

*Heerbrechtingensi hac, Ulrico à Principe terra*

*Wirtembergæ tuo. Nam cum nova Schismata rursus*

*Insurrexissent, Monachorum tota caterua*

*Facta in visa fuit prorsus plebiq; duciq;*

*Suscipientibus at semibus nova dogmata, soli*

*Se subdlexerunt juvenes tres, Religionis*

*Acceptæ à patribus priscis studiosi & amantes*

*Rulandus Mercator. Jannes Ruffus atq;*

*Martinus Steynerus Dillingensibus orti*

*Patribus: hi templis mox seruire Deoq;*

*Vicinis in terra, donec se Carolus hujus*

*Nominis & Tituli Quintus, Germanica contra*

*Agmina defendens, evasit Victor ad Istrum*

B

Atq;

Bruchhij

Chronologia

Monasteria

in Germani

S. III

Atq; Lycum. Tunc Augustanæ in mœnibus Urbis  
 Imperii Cæsar dum Sacra negotia tractat:  
 Præpositum legere inter se, qui prius isti  
 Excessere loco, Rulandum. Hunc Carolus omni  
 Tantopere adjuvit virtute & dexteritate,  
 Tamq; diu, donec Ulricus singula Princeps  
 Redderet hæc, alienarat quæ aliquando, & in usus  
 Transtulerat proprios seclares atq; profanos:  
 Sic demum Rulandus amans Pietatis & Artis  
 Canonicorum iterum cœtum collegit honestum:  
 Instauransq; Lares in multis partibus istos,  
 Hanc fundamentis exinis condidit ædem  
 Quam coram cernis. Tu quisquis es (oro) Viator  
 Lieta precare viro humano, patriq; verendo.

*Alba Au-  
 gia Bri-  
 gantina.*

**A**LBA AUGIA BRIGANTINA, sive Monaste-  
 rium Brigantinum; quod vulgo Majorem Augiam, Ger-  
 manicè die *Mererow* appellant, ac vetustius aliqui esse censent,  
 quam est Abbatia Sangallensis: eo quod S. Galli adhuc non pro-  
 cul inde monstratur Oratorium, Sacellum videlicet omnino  
 humile & exiguum, in montanis supra Bregantum situm, & ante  
 pauculos annos à Brigantini oppidi cive quodam, & Imperato-  
 rio Capitaneo Joanne Schnabelio renovatum: ubi visuntur no-  
 stra adhuc ætate cavernæ scopulis incisæ, in quibus cubasse Ve-  
 nerandus senex dicitur, quas ipse & vidi & contrectavi. Id in-  
 quam Brigantinum Monasterium, ad Bregantii amnis in Lacum  
 Acronium incursum amœnissimo loco situm, olim & Mona-  
 chorum & Monialium Cœnobium, nunc verò abolitis Monia-  
 libus Monachorum saltem D. Benedicti institutum profiten-  
 tium Abbatia insignis & opulenta, fundata (ut nunc est) legitur  
 anno Christi 1098. ab Udalrico Rhetorum & Bregantiæ nobilis-  
 simo Comite, avo videlicet nobilissimi Comitis Rudolphi à  
 Pfullendorff. Dedicatum est templum, egregie absolutum, ab  
 Ulrico Constantiensis Episcopo, Comite à Dillingen. Tunc  
 temporis Rudolphus ille à Pfullendorff ita liberaliter dotavit  
 Augiam

*Udalri-  
 cus Comes  
 fundator.*